



**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

Molina, Luis de

Lugduni, 1622

Vtrum concedendum sit tres personas diuinas esse tria entia, & vtrum
Pater omnem realitatem ac entitatem, quam habet communicet Filio.
disputatione 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](#)

dictæ propositionis est, tres personæ habent unam ac individuam essentiam. In eodem sensu hæc quoque est concedenda, una essentia est trium personarum. Hæc tamen, tres personæ sunt ex una, aut de una essentiâ, concedenda non est: cùd quod propositiones, ex. &c., de non denotant habitudinem formæ, sed vel causæ efficientis, vel materia: neutrum autem conuenit essentiæ comparatione personarum.

ARTICVLVS III.

Virum omnia essentialia prædicentur singulariter de tribus personis.

DISPUTATIO I.

Hoc loco explicandum est, quid sit nomen essentiale, personale, & nationale, si quæst. 32. artic. 22. explicatum non sufficeret. Merito autem Caietanus & alij admonenter, in hoc articulo, de sermonem de nominibus concretis.

D. Thomas hanc statuit conclusionem. Nomina essentialia substantia, ut Deus, & Dominus, praedicantur in singulare, & non in plurali de tribus personis. Adiectiva vero predicantur in plurali. Quod probat ex illa regula, quam quæst. 6. artic. 4. statuimus, nempe ut concretum substantiuum dicatur pluraliter necessariam esse pluralitatem, tam suppositorum, quam significati formalis; ut autem adiectuum dicatur pluraliter, satis esse pluralitatem suppositorum: significatum vero formale nominis concreti essentialis est idem numero in tribus suppositis diuinis. Licet autem D. Thomas hoc loco aliam rationem reddat regulæ propositæ, magis tamen placet ea, quam cum Scoto loco citato redidimus, vbi copiosè, quæ hoc loco dici poterant, explicata sunt.

Ex conclusione D. Thomæ regulaque propo-
ta facile erit intelligere rationem conciliandi quæ-
dam dicta in symbolo Athanasij, & in Concilio
Lateranensi, cap. Firmiter, de summa Trinitate & fi-
de Catholica, quæ primo aspectu videntur inter se
contraria. In symbolo namque Athanasij de Patre,
Filio & Spiritu sancto dicitur, *Non tres eterni*, in
pluri, *sed unus eternus*, *sicut non tres increati*, *ne-*
tres immenses, *sed unus increatus & unus immensus*. &
infra. *Non tres omnipotentes*, *sed unus omnipotens*: c.
verò, Firmiter, de eodem Parce, Filio & spiritu san-
cto dicitur in pluri, *confubstantiales*, & *coaguales*
& *omnipotentes & eostem*. &c. Imò eadē personæ
in symbolo Athanasij etiam dicuntur coexterne
eis verbis: *Coexterne sibi sunt & coaguales*. Hæc ex
dictis in hunc modum sunt concilianda. Athana-
sius in locis primo loco citatis sumptu nomina illa
substantiæ, rapie si quædam corum, quid non su-
mantur in terminatione neutra, proprie se ferant for-
mam adiutoriorum) idéo que negavit dici plura-
liter de tribus personis: Concilium verò Latera-
nense idemque Athanasius vbi secundo loco
itatur, sumptuerunt illa alia n o m i n a ad-
iectiume, eaque ratione tribuerunt
illa tribus personis in na-
mero plurali.

A DISPV TATIO II

*Virum concedendum sit tres personas diuinas
esse tria entia, & utrum Pater omnem rea-
litatem ac entitatem, quam habet,
communicet Filio.*

B **D**iuus Thomas in responsione ad tertium notat, cum res sit quippiam transcendens, conuenientaque personis diuinis non solum ratione essentia, sed etiam ratione relationis concedendum esse tres personas diuinas esse vnam, id est, vnam essentiam ipsis communem, & cum vnaquaque earum eandem, iuxta illud Concilii Lateranensis cap. Damnamus, de summa Trinitate & fide Catholica. *Vna summa res est, qua veraciter est Pater, Filius, &c. & inferius. Quilibet trium personarum est iles.* Praterea concedendum esse, tres personas diuinas esse tres res, relativa scilicet realiter inter se distingueas.

C Bartholomaeus Torres hoc loco eadem ratione affirmat concedendum esse tres personas diuinas, esse unum ens, & tria entia, relativa videlicet. Ac fāmē, esto quidem concedere tenuant tres personas diuinas esse tria entia relativa, placet tamē, quod Torres affirmat. Neque enim ens dicitur ab essentia, vt essentia solum dicit naturam communem superioris aut individuis, sed ab entitate, vt entitas commune quid est absolutus & relativus, quā talia sunt, & tam naturae communi, quām proprietatibus personalibus, principiisve individualibus conueni: quippe cūm ens, & res æquē latè pateant, idēmque videantur significare. Hæc quod attinet ad primum eorum, quām proposita sunt.

D Quod vero attinet ad secundum, Torres hoc loco ait, distingendum esse de realitate ac entitate. Et quidem si sic sermo de realitate ac entitate absolute, concedendum esse, Patrem communicare Filio omnem realitatem ac entitatem, quam habet. Si vero de relativa, negandum id esse: quoniam paternitatem ei non communicat. Quare si sermo sit de realitate & entitate, ut relatiuum & absolutam ambitu suo continet, negandum erit, Patrem communicare Filio omnem realitatem ac entitatem quam habet. Quibus consonat illud Concilij Florentini in literis sancte Unionis, in decreto de processione Spiritus sancti: Omnia que Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, prater esse Patrem.

Forte dici melius posset, Patrem communicare
Filio omnem rem, & omnem entitatem, quam ha-
ber, sed non quod omnem modum realem, quem
res illa haber. Ratio est, quoniam cum in Patre sit
unica simplicissima res realis, vnicaque simplicissi-
ma entitas realis (tametsi illa habeat plures modos,
ratione reales, virtute tamen inter se distinctas)
sane si Pater Filio communicat rem illam, quod
aliquem modum realem illius, nempe quod ratio-
nen formalem essentia, omnem rem, quam haber,
illi communicat: quia habet vnicam simplicissimam
rem, eamque illi vere tribuit, licet quod omnem
modum realem quem illa haber. Cui sententia
congruit illud Ioan. 16. *Omnia quacumque habet Pa-*
ter, mea sunt. Quamuis exponi id possit, quasi ibi sit
sermo de perfectionibus Patris, quas Filius dicit
suas esse, easque communicare Spiritui sancto: ra-
tio vero realis relativa perfectio non est.

Quod si quis ita argumentetur. Pater habet similitatem, quæ realiter distinguitur à Filio : illam que non

Scholastic.
non communicat Filio; ergo aliquam realitatem non communicat Filio. Neganda est minor, quia illam, quae distinguitur, confirmat Filio; sed non quod id secundum quod realiter distinguitur à Filio, sed quatenus illa meritis realitas, quae est paternitas realiter distincta à Filio, est essentia, quam Pater Filio communicat. Quo loco aduerte, quia hoc vocabulum, realitas Patris, non significat præcisè esse relatum, aut esse absoluto, sed realitatem Patris, quae est una numero, & habet verumque esse; paternitas vero significat illa quoad esse relatum præcisè hanc esse falsam, Pater communicat paternitatem Filio; quia sensus est, communicat Filio realitatem illam quoad esse paternitas, quod est falsum. Hanc tamen esse veram, Pater communicat Filio omnem realitatem quam habet. Atque etiam hanc, Pater communicat Filioralitatem, que est paternitas, licet non quatenus rationem habet paternitatis.

Illud etiam hoc loco aduerte, has esse falsas, Pater communicat Filio omnem modum realem quem habet; Pater communicat Filio omnem rationem realem quam habet, sumpta ratione reali, pro conceptu obiectu reali. Et enim modi reales, rationesque reales eo modo sumptæ, sunt multæ in Deo, ut aliis modis, aliaque ratio realis est essentia, alia paternitas, alia spiratio activa, aliaque & alia sunt diuersa attributa, Patrèque modum realem, rationemque paternitatis non communicat Filio. Si ergo vocabulum, *omne*, distribuatur pro modis, rationibus realibus quae sunt in Deo, tunc non omne reale, quod Pater habet, communicat Filio. Atque hoc modo loquimur frequenter, loquiturq; Consilium Floricum illis verbis citatis. Quare licet in rigore verius sit, Patrem communicare Filio omnem realitatem quam habet, quia unica habet, eamque illi communicat, licet non quoad omnem modum ac rationem realem illius, numquam sine distinctione est concedendum, Patrem communicare Filio omnem realitatem quam habet.

ARTICULUS IV.

Vtrum nomina essentia concreta possint supponere pro persona.

Quia hoc loco dici poterant, consultò dīcta sunt questione 3d. articulo quarto: quare solum dubia quedam examinabimus.

D I S P U T A T I O N E
De patre & filio
Vnum hec sit concedenda, sic Deus est hic Deus, si pronomen à parte subiecti demonstrat. Filiū, & à parte predicati. Patrem.

Primum dubium sit, quod titulus proponit, Bartholomeus Torres hoc loco duas contrarias sententias refert, variisque argumenta in utramque partem, tam difficilèmque reputat, hanc questionem, ut definite non audeat, an prædicta positio simpliciter ac absolute sit concedenda; an vero sit neganda. Veretur enim si eam concedat, ne quis clamat cum fauere errori Sabellij pluralitatem personatum negantis. Si vero eam neget, fauere errori idololatrarum pluralitatem Deorum afferentium. Quare eo uitium consilio, ut eam distinguat, ac dicat. Si sit sensus, Filius, qui est

A Deus, est Pater, qui est Deus, esse hereticam. Sive rō sit sensus, Filius & Pater sunt idem omnino Deus, esse veram & orthodoxam.

Nos autem putamus dicendum esse. Si nomen, *hic Deus*, tam à parte subiecti quām à parte praedicti, significet individuum naturæ diuinae communem tribus personis, ut in rigore ac simpliciter significat, propositionem esse verissimam, at identicam. Negamusque à parte subiecti ostendi posse solum Filium, & à parte praedicti solum Patrem. Neque enim nomen illud significat Patrem, quā Patrem, aut Filium, quā Filium, cūm sit nomen absolutum & non relativum, sed hunc numero Deum communem tribus personis, illumque ostendit. Quamvis autem supponat pro tribus personis, quia tanet unica suppositione pro illis supponit indistinctè, ut q. 3. art. 4. ostendimus, nullam in particulari persona ostendit, sed omnes indistinctè, ostendendo immediatè individuum illis commune, quod solum significat, & ratione illius quodammodo supposita, pro quibus mediatae supponit, præter modum significandi naturam diuinam in concreto. Itaque vocabulum, *hic Deus*, nec significat, nec designat, quoad illud pronomen, *hic*, proprietatem personam, eo modo quo in creatis & naturalibus, quando dicimus, *hic homo*, aut *hic equus*, pronomen, *hic*, significat ac designat proprietatem personalem, aut suppositi, eaque ratione nomina illa, *hic homo*, aut *hic equus*, ostendunt personam, aut suppositum. Ratio vero diversitatis est, quia pronomen, *hic*, designat ac significat principium individualium: in rebus autem creatis & naturalibus, natura substantialis in concreto individualitur per proprietatem personam, aut suppositi, vel certe talis proprietas in principio individualiter suppositum includitur, eaque ratione pronomen demonstrativum eam significat, ac ostendit. Quo sit, ut quando dicimus *hic homo*, aut *hic equus*, semper personam, aut suppositum singulariter illis communem, tametsi simul supponat mediatae pro omnibus suis suppositis distinctè.

Quo loco aduerte, quando dicimus, *hic Deus generalis*, nos non ostendere personam Patris, sed hunc Deum communem tribus suppositis, & cum illo omnes tres personas indistinctè: verificari vero prædicatum de subiecto ratione solius personæ Patris, pro qua nomine positum à parte subiecti mediatae ac indistinctè supponit. Longè itaque diversa sunt, ostendit à parte subiecti solum personam Patris, & prædicatum verificari de subiecto ratione solius personæ Patris. Inposita namque re, hoc secundum est, verum: primum vero falso.

Quod si quis dicat, cum nomina pro hominum arbitrio significant, sūmo propositionem illam, ita ut ptonomē, *hic*, à parte subiecti designet ac demonstrat proprietatem Filii, & à parte prædicti proprietatem Patris, idemque sit dicere à parte subiecti, *hic Deus*, ac dicere, *Deus Filius*, & à parte prædicti idem sit dicere, *hic Deus*, ac dicere, *Deus Pater*. Deinde vero perat, siue nunc propositione vera, an falsa: Respondeo, tunc esse falsam, sed nomine, *hic Deus*, sumi sequiucē, à parteque subiecti significare idem, quod significat vocabulum, *Filius*, & à parte prædicti significare idem, quod significat vocabu-

Autoris sententia.